

X. Arcus quadrante majoris excessus supra quadrantem est, quod ipsi supra 90. partes adest. *Vt, arcus G E B. 140. partium, excessus supra quadrantem est arcus E B. 50. partium.*

X I. Semicirculus est arcus 180. partium.

X I I. Arcus semicirculo minoris complementum est, quod ipsi ad 180. partes deest. *Vt, arcus G E B. 140. partium, complementum est, arcus B D. 40. partium.*

X I I I. Anguli per crucem oppositi sunt æquales. *Vt, anguli B A D & G A H sunt æquales. Similiter etiam anguli G A B & H A D. sunt æquales. Idem fit in Sphericis. Veritas theorematum per se patet. Demonstratur tamen apud Euclidem de lineis rectis sese mutuo secantibus ad 15. p. 1.*

X I V. Angulus est rectus vel obliquus.

X V. Angulus rectus est, cujus mensura est quadrans. *Vt, E A D.*

X V I. Angulus obliquus est obtusus vel acutus.

X V I I. Angulus obtusus est, cujus mensura est arcus quadrante major, *Vt B A G.*

X V I I I. Angulus acutus est, cujus mensura est arcus quadrante minor. *Vt, B A D.*

X I X. Angulorum complementa dicuntur, ut arcuum.

X X. Anguli quilibet super eadem linea utrinque protensa concurrentes simul sumti sunt æquales duobus rectis. *Vt, anguli B A D, E A B. & E A G. concurrentes ad punctum A, super linea G D, sunt æquales duobus rectis G A E. & E A D. per structuram.*

X X I. Itaque si obliqui duo super eadem linea utrinque protensa concurrant, alter est alterius ad duos rectos complementum. *Vt, anguli G A B. complementum ad duos rectos est angulus B A D, & hic illius vicissim.*

X X I I. Triangulum primò est laterum quorundam æqualium vel omnium inæqualium.